

non efformavi illud, sed ita ex igne prodiit. Hoc igitur est, quod nullo omnino negotio, sed naturali quasi consequentia prodit ex superbo ornatu, vitulus lasciviae. Deinde ad fastum et arrogantiam animum extollit. Quis enim in veste splendida, praesertim si laudetur aut suspiciatur, seipsum non miratur et circumspicit, indeque alios, qui vilioribus sordent, non contemnit? Ipsi equi phaleris ornati fastum praese ferunt; quod imprimis de Bucephalo, qui regio instratus ornatu neminem in sedem recepit, praeter Alexandrum, testatur Plinius l. IX. c. XLII. Hujusmodi equus fuit Herodes Agrippa, de quo Joseph l. XIX. antiq. c. VII. scribit: «Pervenit in urbem Caesariam, ubi solemnes ludos celebravit pro salute Caesaris: ad quam festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex tota provincia. Ejus solemnitatis die secunda processit mane in theatrum amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quae radiis exorientis solis percussa, ut divinum quemdam splendorem emittens, venerationem cum horrore excutiebat spectantibus: moxque adulatorem perniciosi acclamantes, deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius; hactenus enim ut hominem reveritos nunc agnoscere et fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit nec repulit: pauloque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem; moxque secuta sunt ventris tormina, etc.» Nam, ut Act. XII. dicitur: *Percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus expiravit.* Denique insidiis homines exponit, seu juvenes, seu feminas. Alexius Comnenus imp. orientis, uti refert Nicetas lib. I. in festo natalis Christi, cupiens legatis Caesaris Henrici VI. terrorem suo luxu injicere et a petitione tributi quinquaginta auri centenariorum, eos deterere, gemmatam vestem induit, et reliquos suos omnes auratis vestivit. Quo spectaculo Alemanni adeo non obstupuerunt, ut eorum cupiditas illo splendore magis etiam inflammaretur, et Graecos ut ignavos homines et servilibus deliciis deditos quamprimum oppugnandi occasionem optarent. Nihil magis sapiunt, qui seipsos comunt, et ad spectaculum adornant, mulieres praesertim, viros enim et juvenes adeo non absterrent a commercio suo, ut vehementer incitent ad insidias sibi struendas; ut quae molles sese et quasi venales ostendant.

V. In aulis regum plurimi insidiatores sunt, qui alios honoribus et officiis deturpare, aliorum pudicitiam expugnare, alios principum favore exuere conantur. Idem videre est in vestium uxu, qui nihil aliud est, quam aureus ille calix

meretricis auro et bysso adornatae, propinatus ad bibendum hominibus, plenus immunditia et fornicatione ejus, Apocal. XVII. Jam vero «Dic mihi, inquit S. Chrysost. sermone: Quod regulares feminae. tom. V. quos puniunt iudices? Num eos qui bibunt mortifera venena, an miscetes calicem, etc. Tu autem misera et calamitosa miscuisti calicem hunc perniciosum et praebuisti: et ille, qui bibit perit, et defensam te credis quia tu non bibisti, etc.» Miscent hoc venenum viris feminae, dum insolentius se adornant. Hinc Euripides ait mulierem ornatam «Foris aliquid mali quaerere.» Et Pythagoras Crotoniensem populum in luxuriam collapsam, hac una arte facile retraxit dum mulieres suos fucos et ornatum deponere jussit, ut Justinus lib. XX. refert. Praeceptum legimus, Exod. XXI. *Si quis aperuerit cisternam et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternae pretium jumentorum.* Cisterna quaedam est mulier, teste Sapiente Prov. V. ubi viro de uxore dicitur: *Bibe aquam de cisterna tua, h. e. uxore tua contentus esto: «Sed talis cisterna (inquit S. Bernardinus Sennensis ser. XLVI. quadrag. tom. I.) incaute aperitur, quando mulier cultu meretricio exornatur. In illam utique non opertam bos vel asinus cadit, quando occasione indebitae vanitatis aliquis per concupiscentiam ruit. In quo casu ejus anima de mulieris vanae manibus requiretur, cum det ad hoc efficacem causam.»* Aperitur, inquam, incaute cisterna, cum partes corporis tegendae nudantur potius quam vestiuntur, dum tenuissima et pellicula sindone obducuntur; quod extremae dementiae atque impudicitiae est. Ac licet in hujusmodi cisternam nemo incidat, non tamen is, qui aperuit, pro peccato immunis erit, uti scribit S. Isidorus Pelusiota l. II. ep. CCLXXXIX. «Mulier ornandi corporis studiosa, inquit, atque ob eam causam in forum se conferens, aut per fenestras prospiciens ut juvenes irretiat, etiamsi a conatu suo excidat, tamen proinde ac si eos irretiisset, condemnatur. Id enim omne, quod in ipsius potestate erat effecit, ut quae et venenum miscuerit et retia expanderit, et laqueos omni studio ac diligentia statuerit.» Idemque de viro pronuntiat subdens: «Quod si vir ob eandem causam lascivians, quam virum deceat, se ornavit, ipse quoque acerbissimas poenas omnino pendet, tametsi etiam nulla reperitur, quae poculum bibat.»

Quando igitur vidimus perniciosae matris perniciosam filiam, superest, eam toto pectore vitemus. Quando ad Aquileiam milites Maximinum imp. occiderunt, etiam filium ejus peremerunt dicentes: «Ex pessimo genere nec catulum retinendum.» Cuspinian. Pessima parens aula regum plerumque est: pessima ejus filia est

vestium superbia. Hanc ergo mactate, ne ipsa vos mactet, ex pessimo genere pessimus catulus.

## CONCIO III.

VESTIUM LUXUS COELO INHABILIS.

*Exultant e caelo qui mollibus vestiuntur.*

I. Quia immundi sunt. — II. Quia abominationem faciunt. — III. Quia faciunt mendacium. — IV. Non sunt scripti in libro vitae.

*Quid existis (in desertum) videre hominem mollibus vestitum? Matth. XI.*

Audiemus in hodierno Evangelio mollibus vestitos in deserto non reperiri. Si in deserto non reperiuntur, nec in caelo locum habent, siquidem et caelum quoddam desertum est; uti discimus ex parabola de ove perita, quam requisivit bonus Pastor, relictis in deserto reliquis nonaginta novem ovibus. Haec enim (ut exponit S. Greg. Hom. XXXIV. in Evang. S. Ambros. et V. Bed. in Lucam) sunt angeli in caelo. Nec male a Christo caelum appellatur desertum, quia instar deserti nobis in terra degentibus est incognitum atque impervium. Rursum, quia «Desertum dicitur derelictum, inquit Haymo in eum locum. Et quare caelum dicitur derelictum? Quia tunc homo deseruit caelum, cum peccavit. Nisi enim peccasset, sine morte corporis, sine infirmitate, sine senectute, completo numero electorum, de paradiso terreno transiret ad paradysum caelestem.» Denique desertum appellari potest, quia a majore hominum parte deseritur et spernitur, mundoque huic postponitur, uti patet ex parabolis coenae magnae et convivii nuptialis, ab invitatis spreti ac neglecti. De hoc etiam deserto bene intelligere possumus, quod ait Dominus: *Quid existis (in desertum) videre? Hominem mollibus vestitum? q. d. nequaquam istiusmodi homines in caelo visuntur; quum vestium mollities et luxus caelo inhabilis est. Qui mollibus vestiuntur, in domibus sunt:* ait: «Qui vero talia vestimenta non habent, in caelis sunt.» ait S. Chrys. hom. XXIX. in Ep. ad Hebr. Et S. Greg. hom. VI. in Evang. «Quid est, inquit, dicere: Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt: nisi aperta sententia demonstrare, quia non caelesti, sed terreno regi militant ii, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt et delectationem quaerunt? Nemo ergo existimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Joannes Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus apost. per Epistolam feminas et pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: *Non in veste pretiosa.* Pensate ergo

quae culpa sit, hoc etiam viros appetere, a quo curavit pastor Ecclesiae et feminas prohibere.» Ita S. Greg. Porro nunc videndum, cur hujusmodi homines caelo sint inhabiles. S. Joannes apostolus cum Apoc. XXI. vidisset ac descripsisset caelestem civitatem, in fine subdit: *Non intrabit in eam aliquid coinquatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.* At vero qui mollibus vestiuntur, seu luxu vestium delectantur, revera tales sunt; non ergo intrabunt in caelestem illam Jerusalem.

I. Coinquati animo et immundi sunt. Testatur id imprimis S. Bernardus serm. super Missus est: «Vestium curiositas, inquit, deformitatis mentium et morum indicium est.» Et iterum de consider. III: «Quanto amplius corpus foris propter vanam gloriam componitur atque ornatur, tanto interius anima fadatur et sordidatur.» Rursum in apolog. ad Guil. abb. sub finem. «Mollia indumenta animi indicant mollitiam: non enim tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens, virtutibus inculta.» Consentit S. Cypr. lib. de habitu virg. «Si tu te, (inquit,) sumptuosius comas, et per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomitem succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, et velut gladium et venenum videntibus te praebas, excusare non potes, quasi mente casta sis et pudica; redarguit cultus improbus et impudicus ornatus, etc.» Accedit S. Ephrem Syrus serm. de vita et exerc. monach. «Ornatus vestium (inquit) nos sapere terrena significat, vestisque accurate composita vera illa gloria nudos esse testatur.» Et sanctus Chrys. hom. XVIII. in I. ad Cor. «Difficile est enim, difficile, o dilecti, fortasse autem etiam fieri non potest, ut sic ornato corpore simul quoque ornetur anima: sed necesse est, ut si alterum curetur, alterum negligatur.» Et in orat. caelensis habita tom. V. «Eousque mollitiae, (inquit) usu delapsi sunt homines, ut et calceos exornent, et omni ex parte (aeque enim ac faciem suam nonnulli componunt) variari soleant: quod animae impurae ac depravatae signum est. Licet enim perexiguum hoc esse videatur, tamen tum in viris, tum in feminis magnum perditae mentis argumentum et significatio est; ingressu enim et amictu nos Deum gloria afficere posse, cognosce ex eo, quod olim sapiens quidam (Eccles. c. XIX.) dixit: *Vestitus viri et risus oris, et incessus pedum indicant hominem.* Neque solum SS. Patres hoc iudicium tulere de insolenti vestium luxu, sed etiam gentiles. Notum id, quod de Julio Caesare scribit Suetonius usum lato clavo (veste senatoria

spectabili) ad manus fimbriato, ita ut nunquam aliter, quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore cinctura, unde emanasse Syllæ dictum constat, optimates sæpius admonentis: Ut male præcinctum puerum caverunt; mala in ejus indolem et animum ex insolito vestitu colligentis. Ejusdem in imperio successor Augustus dicere solitus est: Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ, eod. auct. Ad vexillum confluent milites, ad nidum aves: ita ad luxum vestium superbia et luxuria. Audite S. Greg. hom. ult. super Evang. «Quod pro sola, inquit, inani gloria vestimentum pretiosius quaeritur, res ipsa testatur, cum nemo velit ibi pretiosis vestibus indui, ibi ab aliis non possit videri.»

II. Abominationem faciunt, primo dum se velut idolum adornant, et quasi adorandos aliis proponunt. (Idolum enim in Scriptura Hebr. vocatur *Sikkutzim*, id est, *abominations*, seu ressumme abominabiles). Vitulus ille idolatricus, quem coluerunt in deserto Hebræi, ex inauribus Hebræarum mulierum conflatus fuit, Exod. XXXII. Et quid aliud mulier ad fastum composita, nisi hujusmodi vitulus aureus? Vituli illi, seu, ut alii volunt, vitulæ aureæ, quas erexit Jeroboam in Bethel et Dan, facile ad sui cultum attraxere majorem Hebræorum partem, ut relicto Deo et templo Jerosolymitano ad eas concurrerent, III. Reg. XII. Idem fere efficiunt meretricio cultu adornatæ feminæ, trahent ad se viros, stultos præsertim juvenes, ut integris horis ac pene diebus coram ipsis veluti idolis, venerabundi stent, quin et genua flectant, earum curribus adequitent, velut mancipia inserviant, Deo omnium creatore relicto et posthabito. Nemo facile templum ingressus, in eos angulos oculum convertit, quod plerumque sordibus scateant: nisi forte in iis statuæ affabrefactæ scite collocentur; tunc enim neglecto altari omnes ad statuas illas contemplandas sese conferunt. Mundus hic templum quoddam est sanctissimum, in quo Deum in creaturis suis contemplari possumus ac debemus. Verum adornet se una mulier ad instar unius statuæ aut idoli; mox stulti quam plurimi a Deo avertent oculos, et in sordidissimum mundi angulum ad mulierem illam sese convertent. Quo videtur respexisse Psalmo CXLIII. v. XII: *Filiæ eorum compositæ; circumornatæ ut similitudo templi*. Hieron. et August. in speculo legunt: *Filiæ nostræ quasi anguli ornati ad similitudinem templi*.

Secundo, dum ad sua commercia ipsum dæmonem, omnium abominabilium maxime abominabilem, invitent et alliciunt; ut qui hujusmodi comptulis promptissime adesse solet. Testem adduco B. Petr. Damianum, qui epist. XIV ad

Mainardum abb. I. VI. epi. scribit: «Babylonem sane diabolus, Jerusalem inhabitat Christus. Ille luxuriantis amictus varietate reficitur; hic asperis et humilibus, si cordis non desit humilitas delectatur. Auctorem porro superbiæ sæpe nitor vestium provocat; asperitas autem Christum, ut humiliato cuilibet misereatur, invitat.» Inter ornamenta muliebria numeratur murenula, Cant. I. vers. XI. et Ophis, ut scribit Pollux libro V. cap. XIV. quod illa murenæ similitudinem, vario flexu ad ornandum collum affabre facta: hæc vero serpentis similitudinem habeat. Bene certe utrumque monile sic appellatum. Murenæ ad amplexus viperam admittit, teste divo Basilio homil. VII. hexam. Dæmon quoque se immiscet lascivis ornamentis. Ophis serpentem significat, et recte ornamento femineo tribuitur hoc nomen, «Quemadmodum enim Evam, inquit, Clemens Alexandr. lib. II. pædag. c. XII, serpens decepit: ita et alias mulieres mundus muliebris aureus, esca utens serpentis figura in probra impellit, nempe murenulas quasdam aureas et serpentes ad decorem effingens.» Serpens nudum non aggreditur, sed vestitum, teste August. in Ps. IX. Isidoro I. XII. c. IV. Dæmon invadit superbe adornatos: non qui modeste induti sunt. Hinc S. Paulinus ep. IV. ad Severum: «Intelligent (mulieres) inquit; cur illas Apostolus prolixiori capitis velamento tegi jusserit: propter angelos, inquit, illos videlicet ad seductionem paratos, de quibus sancti judicabunt. Hi enim petulantius infirmiora vasa pertentant, sicut non Adam sed Evam coluber aggressus.» Exemplo id ostendit Godeschalcus Hohen celebris concionator in f. Dedicacionis, in quadam domina, quæ famulæ præcepit, ut mane se excitaret, et ad festum diem impensius ornaret. Summo mane venit ancillæ loco diabolus, dominamque excitat et ornare incipit. Verum non modo non exornavit, sed turpissime potius deformavit. Venit postea ancilla, stupet, horret, fugitque quasi aspectu dæmone, fetorem insuper sentiens intolerabilem. Igitur domina ad speculum accurrit sui aspectu adeo terretur, ut retrorsum cadens præ horrore extincta sit.

III. Faciunt et mendacium primo dum alienam fucamque pulchritudinem sibi affingunt. Hoc enim quid est aliud, nisi pulchrum se mentiri? Derisa ab antiquis fuit Terpsithea, quæ cum esset toto corpore deformis, sibi venustissimam fieri curavit; oris sui turpitudinem falsis tabulæ pigmentis honestare cupiens. Theoph. in ep. Græcis. At hoc agunt etiam, qui ex alienis coloribus pulchritudinem, quam a natura non habent, mutuo desunt. «Ceus quidam ætate provecus venit Lacedæmonem, quum vero et alias turgeret superbia, et senectutis suæ

eum puderet, canos oculere conabatur tinctura. Itaque quum in conspectum Lacedæmoniorum prodisset ostenso tali capite, exposuit quorum gratia venerat. Consurgens itaque Archidamus rex Lacedæmoniorum: «Quid, inquit, hic sani diceret, qui non animum tantum gerit mendacem, sed etiam caput?» Ita Ælian. I. VII. var. hist. c. XX. Hoc idem dici potest iis, qui elegantiam sibi affingunt ab alieno cultu. Quid autem honoris accedere illis potest ex vestibus, quæ foris solum adhærent et fere e brutorum pellibus aut laboribus constant? «Stultus est, inquit Seneca l. II. ep. c. XLVII. qui empturus equum, non ipsum inspicit, sed stratum ejus: sic stultissimus, qui hominem ex vestibus æstimat.» Quare Demonax superbienti cuidam de eleganti veste: «Heus tu! inquit, hoc ante dum gestabat ovis, ovis erat.» Ad hæc pretiosus ornatus hominem non tam pulchrum, quam divitem ostendit. «Apelles pictor, inquit Clemens Alexandr. I. II. pædag. c. XII. cum vidisset quemdam ex suis discipulis, pinxisse Helenam, multo auro ornata: O adolescens, inquit, cum non posses pingere pulchram, fecisti divitem! Tales sunt Helenæ, quæ nunc sunt mulieres, non vere pulchræ, sed multis effectæ et ornata divitiis.» Fictio hæc non Dei opus, sed diaboli potius est, si antiquissimum Tertullianum audimus, libro de cultu fæm: «Quod nascitur inquit, opus Dei est, ergo quod fingitur, diaboli negotium est: quod si diabolus omnia fucata excogitavit, divino operi Satanæ ingenia superducere quam scelestum est.»

Secundo, dum foris ostendunt se quidem pulchros et ornatos corpore, intus vero animum gerunt fastu, arrogantia, et communiter impudicitia ac stultitia deformatum. Quam ob causam prædictus Clemens I. III. pædag. c. II. comparat hujusmodi feminas Ægyptiorum templis juxta id Ps. CXLII: *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi*, ita scribens: «Apud Ægyptios multa templa eorumque porticus, vestibula ac luci magnifice instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis et artificiose depictis resplendent, ita ut nihil desit: ædes autem auro, argento et electro collucent, et ex India ac Ægypto variis fulgentibus lapillis, adyta vero intextis auro obumbrantur peplis. Sed si penetralia templi ambitus subieris, et ad ejus quod est præstantius spectaculum properans, imaginem, quæ templum habitat, quæsieris, sacerdos quispiam ex iis, qui in templo sacrificant, gravi et venerando vultu aspiciens, et Ægyptiorum linguam continens, cum veli aliquantum contraxerit tamquam Deum ostentans, abunde nobis suppeditat occasionem ir-

ridendi numinis: neque enim intus invenietur deus, qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua ejusmodi bellua, quæ quidem templo est indigna, sed antro spelunçæ ac cœno magis congruit. Apparet deus Ægyptiorum bellua, quæ super vestem stragula purpurea volutatur. Ita etiam mihi feminæ videntur, quæ aurum gestant, et in crispandis crinibus exercentur, et in genis ungendis oculisque pingendis, et pilis tingendis versantur, et aliam mollitiem arte improba persequuntur carnalem ambitum ornantes, et vere Ægyptios imitantes, infelices amatores attrahere. Sed si quis veli templum aperuerit, vittam, inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam, et quæ eis intrita et incrustata sunt, h. e. velamentum, quod ex eis contextum est, tamquam illic veram inventurus pulchritudinem, recte scio eum esse abominatum. Neque enim Dei imaginem intus invenient habitantem quam est consentaneum: sed loco ejus fornicatrix et adultera animæ occupavit adytum, et vera esse bestia convincetur, fucos scilicet intrita et incrustata simia: et seductor ille serpens, mentis excedens intelligentiam per gloriæ cupiditatem pro spelunca habet animam, et cum omnia exitalibus venenis impleverit, et erroris sui virus eructaverit; mulieres in meretrices transformat hic draco, fungens leonis officio: non est enim mulieris, sed meretricis illud nimium sui ornandi studium. Optime igitur S. Augustin. epist. XLIII ad Possidium: «Verus, ait, ornatus, maxime Christianorum et Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.»

IV. Non sunt scripti in libro vitæ Agni, ut cui se adversari suo cultu ostendunt; quod imprimis testatur S. Cyprianus lib. de discipl. et habitu virginum: «Redarguit te cultus improbus, ait, et impudicus ornatus, nec computari jam potes inter puellas et virgines Christi, quæ sic vivis ut possis adamari.» Exemplo Achab id ostendit Petrus Damiani epist. XIV. ad Mainardum abb. VI. epist. «Sicut sacra, inquit, regum testatur historia (III. Reg. XXII.) Rex Israel (Achab) et Josaphat rex Juda, sedebat unusquisque in solio suo vestiti cultu regio in aerea, juxta portam Samariæ, et universi prophetæ in eorum conspectu mendacia prophetabant. Auctor quippe mendacii fucati cultus delectabatur illecebris, et adumbrati decoris aspectu per ora prophetantium officinas fabricaverat falsitatis. At contra cum idem Achab comminantis Eliæ dura, prout dignus erat, verba perciperet, ac impendentem suis cervicibus divini furoris gladium territum formidaret, Scriptura

teste, scidit vestem suam, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulabat demisso capite. Factusque est sermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. Ecce Achab imperiali purpura decoratur, et reprobo spiritu fallente decipitur: cilicium induit, et gladium divini furoris avertit: regalibus infulis redimitus, laqueo deceptionis impingitur; sacco contentus, dilatae ultionis indulgentiam promeretur. Patet igitur non placere Deo, adeoque nec inscribi ejus libro, nisi qui, deposito carnis ornatu, humilitatem amplectuntur, quod etiam a pravaricatoribus Hebraeis petiit, Exod. c. XXXIII. *Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.* Intellexerunt et Ninivitarum, qui non nisi exuti vestibus pretiosis, et induti sacco ipsum placarunt: intellexit meretrix illa in Evangelio, ut ait S. Hier. epist. X. cap. II. « Quae baptizata lacrymis suis, et crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, non habuit crispantes mitras, nec stridentes, nec oculos stibio fuliginatos, sed quanto foedior, tanto pulchrior. » Hoc enim habitu Domino placuit, et in librum vitae Agni inscripta fuit; quae in ornatu displicuisset, et e libro illo expuncta fuisset. « Horret humilis vestis, inquit S. Ambros. libro de poenitent. c. XV, sed hoc valde decet, quod Deo non displicet. » Arridet vicissim ambitiosa vestis; sed quid hoc prodest, quod Deo non placet? Alexander Walachiae Palatinus post male administratam provinciam, Constantinopoli jussu regio in splendidissimo vestitu laqueo enectus est anno Domini 1597, ipsa Palmaram dominica, auctore Nicol. Reusnero in narrat. hist. Et quid hoc eum juvit? Nonne major ipsi infamia fuit perire tam infami supplicio in tam splendido ornatu? *Bonum tibi est, inquit Dominus, Matth. XVIII. ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum.* Pari modo praestat in mendico centone una cum Lazaro illo ingredi ad vitam, quam in purpura et bysso una cum Epulone sepeliri in infernum.

## CONCIO IV.

## VESTIUM ORNATUS QUOUSQUE ILLICITUS.

Luxus vestium proscriptus. — I. Quia corpori non adhibendus fucus. — II. Non introducenda novitates. — III. Non licet excedere facultates. — IV. Non excedat statum et dignitatem. — V. Non sit contra honestatem et modestiam.

## THEMA.

*Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Matth. XI.

S. Laurentius Justin. sanctitate et doctrina

illustris, primus Venetorum patriarcha, ubi ad episcopalem dignitatem a PP. Eugenio evectus ascendit, mox ad reformandos suorum subditorum mores animum adjecit, interque alia decretum edidit, de mulierum ornatu, uxoris maritis vehementer ingratum. Unde dux ipse Venetorum libertati saeculari metuens, indignabundus eum accersit, verbisque durioribus increpatum rationem exposcit. At Laurentius pro sua insita gravitate et mansuetudine tale ei responsum dedit, ut dux lacrymis perfusus ad adstantes dixerit: « Angelus non homo locutus est, fungere Pater officio tuo. » Ita ejus nepos Bern. Justin. in ejus vita apud Sur. VIII. Jan. Ingratum etiam est comptulis et superbis verbum Christi Domini in hodierno Evangelio: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Indicat enim tales nequaquam S. Joanni Baptistae similes, sed e diametro contrarios, et mundi, non caelestium esse. Sed quid volumus? Non homo, nec angelus, sed Dei Filius hoc locutus est: qui dum proscrit e caelo superbum vestitum, fungitur officio suo. Quis igitur prohibeat, ne et ego fungar meo? Placuit Deo Laurentii decretum et divinitus approbatum est, vel ab invito duce. Placeat etiam vobis audire decreta aliquot, divina verius quam humana, circa vestitum illum.

I. Non vult Deus fucum corpori adhiberi. Ita enim Jerem. IV. ait: *Cum pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris, alludens ad Jezabel, quae ad ingressum regis Jehu in urbem depinxit oculos suos stibio, IV. Regum IX. at non modo ei non placuit per hoc, aut ejus gratiam venata fuit, sed maxime displicuit, et praecipitari ab eo jussa est. Quanto magis displicebit Deo, si ipsius opus vario fuco destruat? Audite quid Isa. cap. III. dicat: *Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et nutibus oculorum* (Chald. *stibio linitis oculis*) *ibant, etc. decalcavit Dominus verticem filiarum Sion, etc. Dominus crinem earum nudabit.* Plane eo modo, quo Guilielmus Lugd. episc. refert, cuidam nobili feminae cerusatae, eunti cum publica processione, e proxima officina simiam in humerum insilisse, ac capitis ornamento detracto, deformitatem fuco ementitam detexisse. Unde incredibili pudore ac dolore affecta fuit. Cum ergo tibi comptule fucum et larvam detrahet Deus, quid senties? Num tesuam agnoscet creaturam, sic depravatam? Olim rubro colore pingebant feminae capillos, quod mali ominis esse dicebant sancti Patres, nimirum colore illo igneo prodere se mulieres, quod de gehenna sint. Ita S. Hieron. epist. VII. ad Laetam: « Mulier Christiana cave, ne caput filiae gemmis ornes, aut collum auro premas, nec capillum irrufes, ne sic aliquid de gehennae ignibus auspiceris. » Et sanctus Cyprianus*

de habitu virg. « Audaci conatu et sacrilego contemptu tuos inficis crines; o femina, malo praesagio futurum, capillos jam tibi flammeos auspicaris. » Refert Theodoretus in Philotheo matrem suam aliquando defectu oculi laborantem adisse Petrum eremitam fama sanctitatis ejus permotam. « Habebat autem inaures, catenas et torques, et alia aurea, quae sibi induerat, et vestem variam ex sericis filis contextam; nondum enim virtutem gustarat perfectiorem. Tum sanctus pii ornatus morbum in ea curare volens: Dic mihi filia, inquit, si quis pictor in arte bene exercitatus aliquam pinxisset imaginem, ut praecipit lex artis, et eam proposuisset videre volentibus: veniret autem aliquis alius artem non sciens perfecte et accurate, temereque et inconsulte, ut sibi videtur, vellet contra pingere, deinde illam artificiosam reprehendere picturam, superciliis quidem et ciliis lineas addere longiores, faciem autem efficeret albiorem et genis rubrum adderet colorem: non tibi videtur prior ille pictor jure succensus, quod et ars ejus probro esset et contumelia affecta, et eorum, quibus opus non erat, additamentum a manu indocta accepisset. Ergo universorum quoque, inquit opificem et nostrae naturae effectorem et pictorem jure irasci credite, quod illam, quae verbis non potest, naturam et sapientiam accusetis inscitiae. Non enim rubrum, et album, et nigrum colorem vobis infunderetis si non existimaretis esse vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitantes, imbecillitatis damnatis Creatorem. » Haec audiens femina statim reti hujus Petri capta, et ornatum suum detestata est, cumque ab eo sanata esset, domum reversa, omnem ornatum abjecit, et deinceps aversata est, licet adhuc juvencula viginti tres scilicet annorum.

II. Non vult novitates sed peregrinas vestes introduci. Ita enim Soph. I. ait Deus: *In die hostiae Domini* (quando velut hostias mactabo Jerosolymitanos) *visitabo super omnes, qui induiti sunt veste peregrina, scilicet Aegyptia, Tyria, Ammonitica, etc.* Cum harum enim gentium idolis assumpserant etiam habitum et vestitum illarum, sicut cum peregrinis vestibus inducuntur et peregrini mores. Fuerunt olim Germani constantissimi in suo habitu: verum admissis peregrinis doctrinis haereticorum, admiserunt etiam peregrinos habitus, ut quemadmodum jam in doctrina fluctuant, et fidem cum fide mutant, sic instar chamæleontum singulis fere annis mutant, et vestitum. Signum hoc levis, inconstantis, inflati et insipientis animi est, quem taxavit in Romanis Augustus, cum perorans vidit multos Graeco pallio indutos: « En Romanos rerum dominos, gentemque togatam. » In Carolo Calvo suggillarunt Franci; adeo ut nec princi-

pem deceat peregrinus habitus. Lacedaemonii Timothei Milesii citharam suspenderunt ad sciadem: eundem mulcantes, quod septem lyrae fidibus quatuor addidisset. Pausanias in Lacon. Non dissimili honore affecti non ita pridem magnus quidam princeps habitum ut appellant alemodicum, noviter introductum. Cum enim in hujusmodi hominem sic vestitum indicisset, quasi admirabundus habitum illum approbaret; interrogavit, an et quanti eum sibi vendere vellet. Ille mox promptissimo animo obtulit vestem principi, si alium ejus loco reciperet. Allata et data est illi vestis, et gloriatur homo se tam bono loco apud principem esse. Verum non principem vestivit, sed stramen. Princeps enim fasce stramineo vestem illam sarciri, et fenestratam in fenestrato palatio, patibulo scilicet suspendi jussit: quo nimirum insolitus ille et levissimus habitus, veluti infamis, exosus omnibus fieret. Refert P. Georg. Steng. Labyr. p. II. c. III. Christoph. dux Wirtemb. cum follicantes caligae suo tempore valde invalescerent, carnificem eo habitu incedere voluit, ut ne alii imitarentur. Jerem. Mederi, hypomenem. Verum sicut Eccles. c. XI. ait: *Faciendi plures tibros est finis*: ita excogitandi novos vestitus nullus est finis.

III. Non vult ut vestitus excedat facultates: ne liberi patiantur, et portione sua spoliantur; nec subditi premantur, ne viri opes exhauriantur aut uxoris. Ita Isa. III. legimus: *Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominate sunt eis, q. d. mulieres in causa erant, cur subditi exactionibus spoliarentur a viris.* Sed quomodo? Id mox indicat: *Pro eo quod elevatae sunt filiae vestrae et ambulaverunt extento collo etc. q. d. uti pretiose se ornarent feminae, viros fecerunt exactores pauperum; ut ibi explicat Cornel. a Lap. At imprimis: « Quis pudor est census corpore ferre suos? » ait; Ovid. lib. III. de arte amandi. Seneca etiam l. VII. de benef. c. IX. indignum censet, quod mulieres aliqua in singulis unionibus singula patrimonia circumferant. Sed dico: quod etiam sanguinem pauperum, juxta id Jer. II: *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum.* Quemadmodum enim aves rapaces dum jugulant captas, aspergunt earum sanguine alas suas, ita expilatores pauperum, sanguine eorum tingunt vestes suas, uxorum et liberorum. Quantum enim putatis, constat una pluma struthionis volitans in pileo? Quot pauperculi rustici contribuere debent suum peculium, sanguine suo partum, donec solvant filio domini sui talem plumam? Quot ut filiae unionem vel armillam auream? Et quid prosunt ista? Imo quid non obsunt? Quis ditior Salomone fuit, cui tanta prius erat argenti abundantia, quanta et lapidum, II. Reg. X*